TRIGONOMETRIE CRV



Zsadnay in bor A B C
3 4 1

116

Poßli czterey na ofiare, da
wam co. Drugi potowice
dway, czwarty takci trzey.
od oltarza nałuzył złoty, to
polskich. Wiele beło.

Tertia	160.
Quartũ	162.

Axiom. Sphaericum.

Primũ	170.
Secundũ	175.
Tertiũ	179.
Quartũ	181.

Matem

Zadnego in hoc A B C
3 4 1

(116)

Poszli czterey na ofiare, da...
wiem co. Drugi polowice ...
dway, czwarty takie trzey ...
od oltarza naliczył złoty, to ...
polskich. Wiele było.

A. 1 N.	5
B. ½ N.	2 ½
C. 1½ N.	7 ½
D. 3 N.	15

6 N = 30.

Solvit ... qui ...

Axiomata Planorum		
Primum folio	155.	NB
Secundum	158.	
Tertium	160.	
Quartum	162.	

Axiom. Sphaericorum

Primum	170.
Secundum	175.
Tertium	179.
Quartum	181.

Matem

Niniejszy klocek (niegdyś własność autora, Jana Brożka) był już raz przeoprawiony w w. XIX, kiedy usunięto z niego dwie pierwsze pozycje [Piotra Krügera Synopsis trigonometriae, Dantisci 1612, i tegoż Logistica sexagenaria, Dantisci 1616 (obecnie pod sygn. 56336-56337. I)]. Po raz drugi przeoprawił go i wyrestaurował introligator Jan Wyżga w r. 1937. Przy tej sposobności odjęto z końca tego klocka list J. H. Nothafta (zob. J. N. Franke, J. Brożek, str. 90) i przeniesiono go do rękopisu 1141.

A. B.

IOANNIS RIOLANI AMBIANI MEDICI PARISIENSIS, VIRI CLARISSIMI.

AD STVDIOSOS VERÆ MEDICINÆ.

SAPIENTER Herophilus morborũ remedia, si ab indoctis medicis vsurpentur venena, si verò à doctis & exercitatis, Deorum auxiliares manus appellabat: Quotquot enim neglecta scientia, solis remediorum formulis instructi, medici titulo passim insolescunt, nunquam securi, sed dubij semper & incerti medicinam exercent. Solus sibi bene conscius est medicus, neq; vlla pallescit culpa, qui ratione & authoritate, non tantùm exemplo medetur: quia tot circumstantiis vsus medendi circumscribitur, tot habet indicationes, (mitto subiecti & morbi inconstantiam) vt valdè artificiali coniectura sit opus ad inueniendum remedium quod morbo & ægri naturæ conueniat, non minùs maturo iudicio vt inuentum prudenter & ex arte dispensetur. Quare per Apollinem & sacras Musas (quia nil præstatius hîc agnosco) vos oro & obtestor, ne priùs defa-

cienda

tienda medicina cogitetis, quàm quæ nobis insunt secundùm naturam ex Physiologia: Affectuum præter naturam causas, & signa, ex pathologia: eorundem remedia, ex Therapeutica didiceritis: ea verò de fonte ipso, non ex riuulis hauriatis, malim enim errare cum Hippocrate, cuius scientia, gentium omnium vno consensu tot seculis probata est, quam cum Paracelso, non tantùm politioris literaturæ & bonæ Philosophiæ, plane ignaro, sed impio pseudomedico, bene sentire: Quotquot extiterunt Philosophi, Pòétæ, Legislatores, suæ doctrinæ & inuentionis autorem Deum perhibuerunt, quamuis illum diuersis nominibus appellarint, Orpheus Calliopen, Musæus Vraniam, Pindarus Polymniam, Homerus Clionem, Hesiodus Terpsicoren, Linus Phœbum, Virgilius Thaliam, Ouidius Euterpen, sui pòématis autores profitentur, iisque in salutatis nil magnum aggrediuntur, Summus ille Legislator Trismegistus Mercurio, Zaleucus & Zamolsis Vestæ, Charondas Saturno, Lycurgus Apollini, Solon Mineruæ, Minos & Plato Ioui, Numa Ægeriæ, Mahumetus Gabrieli, Moses ineffabili Deo, suarum legum inuentionem tribuerunt: Vnus Paracelsus, suæ mèdicinæ autorem diábolum nominatim profitetur, nec referre putat impostor, vtrum à spiritu veritatis an mendacij scientia proficiscatur. Quamuis enim artes diaboli nostri minimè sint similes, omnes tamen, *inquit*, peræquè sunt artes, verba & characteres, sunt medicinæ dæmonum, vt syrupi & apozemata, hominũ: Enim-

Enimuero, cùm tam mali, quàm boni ſpiritus, creaturæ Dei ſint, cur eorum ſcientia peræque creatura Dei non erit? profectò quicquid in noſtrum commodum cedit, etiam ſi à diabolo proficiſcatur, à Deo eſt: Quod ſi mihi in foueam de lapſo diabolus manum porrigeret, parem illi gratiam referrem, & perinde mihi benefactum putarem, ac ſi vnus Apoſtolorum me de fouea extraxiſſet. Hoc ſi quis miretur, meminerit ſcriptum eſſe petendum auxilium ab inimicis. *Et erit adhuc qui ſe Paracelſi diſcipulum audeat profiteri? Etiam ſi illius doctrina ſapienter & cum ratione deſcripta eſſet, tamen propter autoris nomen, non auſim illam attingere, & primis labris guſtare, tantum abeſt vt amplecti velim: quid enim aliud diabolus, quàm ſubdolus ſophiſta qui veri ſpecie nos ludit, calumniator, impoſtor? Diabolus eſt iuratus hoſtis humanæ naturæ, illique perpetuò ſtruit inſidias, quis ergo prudens crediderit illum ſalutaria remedia, non potiùs venena, communicaſſe Paracelſo in lucem & vulgus efferenda? princeps tenebrarum delectatur fumis, miniſtros habet fumiuendulos Alchymiſtas, ſufflones, carbonarios, quorum ſcientiam cur non appellem βαναυσικὴν cùm propriè βαναυσοὶ dicantur fornacarij chymiſtæ? Sed mox diſparebit fumus iſte, cùm perdiderit gratiam nouitatis, temporiſque filia veritas iſtas falſitatis tenebras, breui ſuo lumine diſſipabit: vos interim ea ad vſum deligite remedia, quorum maiores noſtri tulerunt pericula. Valete, & mei conſilij memores ſemper eſtote.*

Ex Lu-

Ex Ludouico Dureto in Coacas.

NUllum aliud requiri debet in rerum natura ὑγιεινὸν, *nisi id vnum quod spiritui & sanguini putatur esse* εὐπρόσφυτον, *i. consociale: cuiusmodi sunt ea quæ commendantur* τῇ εὐχυλίᾳ, *quæq; suauitate participant gratiosi humoris atq; odoris. Itaq; superstitio est, vel ostentatio celebrare aurum, si diis placet, potabile; cæteraq; chymica ebriosi illius, fanaticiq; athei Paracelsi: quorum iampridem explosa commendatio est è schola Hippocratis, exulatq; apud hypocritas medicos, & veteratores, quos nulla res præter versutam quandam hypocrisin commendare potest, & quorum vanitas ambagibus tantum solertißima esse solet.*

Ex Oratione Clarissimi viri VALENTINI FONTANI Cùm responderet pro loco inter Medicos Academiæ Cracouiensis.

QVeror Auditores, veterem nostram Hygæam, Panacæamq́; sapientem, probam, fortunatam, à medicina relegari. Quid querar?

cessere magistri
Phyllirides Chyron Amythaoniusq; Melāpus.

Subeunt

Subeunt degeneres liberi Chymiſtarum non creta ſed carbone notati, qui ad carbones & fumum nouam hygæam quærunt. Admirandi artifices non vulgaribus & è media plebe petitis remedijs medentur, ſed prodigijs: decantato elixyr; balſamo: auro, cælo, lapide philoſophorũ. Seruate obſecro iſta aurea medicamina, pro venturo ſeculo aureo: nunc iſto ligneo æuo ſinite nos ligno malis hominum ſubuenire. Recte enim Herophilus dicebat: Medicamentũ eſt nihil; Medicamentum eſt manus Dei: Sentiens non in remediis ſanitatem habitare, ſed in dextro illorum vſu: Inſtrumenta ſanitatis eſſe, ſi oportuno tempore, loco, ratione, via, modo, adhibeantur. At iſti, ſi dijs placet, dicam Græcè ne intelligant βαναυσοὶ, βαυδιπανοῦργοι, θαυματοποιοὶ, crumenarum aucupes, diuitũ venatores putant ſe ſupra Æſculapium futuros, ſi admiranda medicamina repererint, quaſi ipſamet vt tripodes Vulcani ferantur ad opus. Tum demum Galenus ſe habiturum putauit felicitatẽ medendi Æſculapij, cum ἰδιοσυγκρασίας argumenta certa deprehendiſſet: non vbi pharmacum inauditum compoſuiſſet. Nõ faciunt inſtrumenta artificem, ſed vſus. Cur enim nouum medicamentum antiquo probato præferam? Purum, gratum, & modicum remedium eſſe volo: violentum, exuſtum & vulcanium eſſe nolo. Hæc ego non odio alicuius artis dico, qui etiam Chymiam ſine dolo & fraude amplector: verùm vt nobiliſſimos, ſtudioſiſſimosq́ iuuenes moneam: Morbum eſſe huius ſeculi

ægrotan-

ægrotantis, veterum dogmata tollere: noua subÿcere: sectas condere: ruina alterius gradum ad laudem facere, non modo in medicina, sed in omni arte & scientia. Videte iuuenes vti cautè in hoc scientiarum oceano curratis: veterum vestigiis insistite: qua via tuta est cursum flectite; ad Hippocratem, Aristotelem & Galenum, tanquam ad Cynosuram Phœnices nautæ identidem respicite: nouos homines & noua dogmata ceu ignotum pelagus suspecta habete. Recte enim Poetæ dicunt apud inferos solum Tyresiam vatem sapere, cæteros volitare sicut vmbras: ita profectò hîc apud superos, isti tantum tres sapere videntur. Et cætera.

Tota quidem Oratio describi digna fuit, sed alio tempore fiet commodiùs. Notabis autem LECTOR, Alchymiam Paracelsi, & Alchymiam Quercetani, distingui ab Alchymia simplîciter; quod hæc antiquorum inuentum sit; cuius etiam Mesue, Albertus Magnus, aliique faciunt mentionem; imò his antiquior Iulius Firmicus in Astrologia. Sed de antiquitate Chymię postea copiosiùs agam. Vale.

SCHO-

SCHOLÆ PARISIENSIS
Iudicium, de Alchymia Quercetani.

COLLEGIVM *Medicorum in Academiâ Parisiensi legitimè congregatum audita renunciatione Censorum, quibus demandata erat prouincia examinandi librum Iosephi Quercetani de materia, & præstantia veteris Medicinæ: non tantum Quercetani libros spagyricos damnat vnanimi consensu, sed etiam artem ipsam spagyricam: Omnesq́; Medicos qui vbique gentium & locorum Medicinam exercent hortatur, vt ex* Hippocratis & Galeni

doctrinâ

doctrinâ faciant Medicinam.

Quin etiam prohibet, nequis ex hoc Medicorum Parisiensium ordine, cum Quercetano, aliisue spagyricis, aut à facultate non probatis consilia Medica ineat: qui secus fecerit, Scholæ emolumentis, & Academiæ priuilegiis priuabitur, & ex Medicorum regentium albo expungetur.

Datum Lutetiæ, In Scholis superioribus, die 9. Septembris. anno salutis 1603.

G. HERON. Decanus.

Arithmetica [illegible]
Haud equidem inficior: decus im-
mortale meretur Ars varie va-
rias quae numerat docens.
Sit tamen a nostris procul illa Lo-
gistica terris Qua numerat pa-
stor vilia mille oves